



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum**

**Heser, Georg**

**Monachii, 1657**

Pro Parte I. & II. Modus universalis meditandi mysteria Vitæ D. N. Iesv  
Christi.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: &c. *Matth. 25. v. 41. & 42.* Amen dico vobis: quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam. *Matth. 25. v. 45. 46.*

**M O D I M E D I T A N D I**  
accommodati singulis Partibus Monotessari.

**PRO PARTE I. ET II.**

*Modus universalis meditandi mysteria Vitæ D. N. IESU Christi.*

**S**ingulis materiæ dispositæ Punctis adhibenda sunt Puncta tria Formulæ, sive modi meditandi. Primum Formulæ punctum est, Consideratio singularum Personarum, de quibus mentio fit in proposito puncto materiæ. Exempli gratiâ sit istud materiæ punctum, *Luc. 2. v. 34. Benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, &c.* Hic considerandæ sunt personæ tres: Simeon senex, Iesus puerulus, & Virgo mater ipsius Maria. Ex harum personarum consideratione documenta sunt elicienda, quibus nos docemur aliquid seu facere, seu vitare.

Secundum Formulæ Punctum est, in eodem materiæ puncto considerare ac perpendere

dere omnia verba, quæ locutæ sunt illæ ipsæ personæ, quas paulò antè contemplati sumus. Notandum autem est, nomine Verborum non intelligi tantùm ea, quæ in textu recensentur prolata, verùm etiam illa, quæ textus siluit, & fortassis tamen à prædictis personis fuerunt prolata, vel certè in his circumstantijs prudenter & accommodatè ad rem proferri potuerunt. Item intelligi earundem personarum cogitationes internas, & iudicia, & discursus, &c. quæ nihil aliud sunt, quàm verba mentis. Ex his omnibus colligendus fructus, quemadmodum priùs. Sic in allato exemplo perpendenda sunt verba Simeonis, quæ Spiritus propheticus cordi ipsius inspiravit, & impulit, ut ore proferret. Verba item B. V. non quæ dixit (nulla enim Lucas refert) sed quæ dicere potuisset, quærendo & ulterius indagando, quâ ratione positus sit filius hic suus in ruinam multorum. Expendenda quoque sunt, quæ tunc utique, cum hæc audiret, animo secum agitavit.

Tertium Formulæ Punctum est, attendere earundem personarum omnes, aut præcipuas saltem Actiones, & ex adverso Passiones. In præsentī exemplo eum intueri, qui positus est, à quo? *in ruinam multorum*, ut

in æternum pereant. Aliquid inde semper ad nos reflectemus, ut ex consideratione tali fructum aliquem referamus. Si hoc modo absolutum fuerit punctum primum Materiæ, fit progressus ad alia puncta eodẽ modo meditanda. Illud igitur bene notandum, hanc regulam adhibendam esse in singulis punctis materiæ propositæ, ut nimirum intentio meditantis feratur primum quidem in personas, quæ in illo puncto occurrunt; tum ad verba, si prius verba; vel ad facta, si prius occurrant facta. Alia enim quia prius dicta sunt, ideo postea tale quid factum est: & vicissim quia prius aliquid factum est, ideo tales postea prolati sunt sermones.

### PRO PARTE III.

#### *Modus meditandi miraculum.*

- I. **C**onsiderandum, quæ in eo transcendentia vires naturæ contineantur.
  - II. Quæ fuerit causa illius instrumentalis: seu quo instrumento Deus fuerit usus in eo faciendo.
  - III. Quæ motiva & rationes fuerint faciendi miraculum.
  - IV. Qui inde secuti effectus alij, præter mira-